



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De his quæ temporaliter Deo conueniunt, & relatiuè dicuntur. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Ambros. in
principio
Prologi. li. 2.
de fide to. 2.*

omnibus cōmuniter dicuntur. Alia vero sunt quæ translatiuè ac per similitudinem de Deo dicuntur. Vnde Ambr. in 2. lib. de Trin. ait: Quo purius niteat fides, tripartita videtur deriuanda distinctio. Sunt n. nomina quædam, quæ euidenter proprietatem personæque deitatis ostendunt. Et sunt quædam, quæ perspicuâ diuinæ maiestatis expriment veritatem. Alia verò sunt quæ translatiuè & per similitudinē de Deo dicuntur. Proprietatis itaque indicia sunt, generatio, filius, verbum, & huiusmodi: vnitatis vero æternæ, sapiētia, virtus, & veritas, & huiusmodi: similitudinis vero, splendor, character, speculum & huiusmodi.

Premissis addit quædam esse nomina, quæ temporaliter Deo conueniunt, & relatiuè dicuntur.

*Aug. cap. 16.
& ult. lib. 5.
per totum.*

HIS adiciendū est, quædam esse nomina, vt August. ait in 5. lib. de Trinit. quæ ex tempore Deo conueniunt, & relatiuè ad creaturam dicuntur: quorum quædam de omnibus dicuntur personis: vt, Dominus, creator, refugium: quædam autem non de omnibus, vt donatus, datus, missus.

De hoc nomine Trinitas addit.

PRÆTEREA est vnum nomen quod de nulla persona sigillatim dicitur, sed de omnibus simul, id est, Trinitas: quod non dicitur secundum substantiam, sed quasi collectivam pluralitatem designat personarum.

De aliis nominibus quæ temporaliter Deo congruunt, & non relatiuè dicuntur.

SVNT etiam quædam nomina quæ ex tempore Deo conueniunt, nec relatiuè dicuntur, vt humanatus, incarnatus, & huiusmodi. Ecce sex nominum differentias assignauimus, quibus vtimus loquentes de Deo: de quibus singulis agendum est.

Quod